Opuscula

FELICITAS
URBIS BOCHNÆ,
EX PRÆSIDIO NOVO
SACRORUM LYPSANORUM
D. IOANNIS CANTII,
Regni Poloniæ, & Academiæ Cracoviensis,
PATRONI,
Aliorumq; SS. Martyrum, Sanctarumq; Virginum.
ORTA.
Et dum
HÆ SANCTÆ RELIQUIÆ,
Ex Ecclesia Religiosissimorum, & Admodùm Reverendorum Patrum Ordinis Prædicatorum,
Ad Templum Parochiale Bochnense,
S. NICOLAI Episcopi Myrensis.
Celebri pietate transportabantur,
PER
M. FRANCISCUM HIERONYMUM PLUCINSKI,
Philosophiæ Doctorem, Dialecticæ in Collegio Novoduorsciano Professorem.
Contubernij Sisiniani Seniorem.
Securturæ Posteritati
Stylo Elogiastico,
PROCLAMATA.
Anno, quo Author Felicitatis nostræ de utero Virgineo prodijt, 1711.
Die 19. Octobris.

CRACOVIÆ,
Typis Francisci Cezary, S. R. M. Illustriss. & Reverendiss. Dñi Episc. Cracov. Ducis Severiæ; necnon Scholarum Novoduorscianarum Ordinarij Typographi.

CATALOGUS
Sanctarum Reliquiarum,
A Sede Romana concessarum,
Ad Ecclesiam Parochialē Bochnēsem.
Vnà
CVM DIGITO
D. JOANNIS CANTIJ
Introductarum.

S. FELICISSIMI Martyris, Fistula de manu notabilis cum dente uno.
S. INNOCENTIJ Martyris, Cubiti manus frustum.
S. ILLVMINATI Martyris, tria frusta Reliquiarum.
S. POTENTIANI Martyris, parvum frustum Reliquiarum;
S. NAVALIS Martyris, Cranij capitis frustum insigne.
S. CLARI Martyris, itidem Cranij capitis frustum.
S. HYACINTHI Martyris, Costula de Latere.
S. BONIFACII Martyris, frustum de Latere.
S. GEMINIANI Martyris, de manu os notabile.
S. FAVSTÆ Virginis & Martyris parvulimum frustum.
S. SEVERINÆ Martyris, particula Reliquiarum.
S. CÆLESTINÆ Martyris, os notabile pedis.
S. INNOCENTIÆ Martyris, particula fistulæ de manu.
S. Jucundinæ Martyris, fistula de manu.
S. Virginis & Martyris unius Sodalium S. Vrsulæ particula reliquiarum.

FELICI-

FELICITAS URBIS BOCHNENSIS.

Metire Calame si potes,
Singularem felicitatem Civitatis Bochnensis,
Regia illa est,
quia libera; libera est, quia Regia.
Regia est,
Nam Serenissimorum Sarmatiæ Principum,
thesaurus & ærarium est.
Fortunata est, hæc Regum Poloniæ Nata,
Nempè Beatis, Beatæ CVNEGVNDIS precibus
Regnante BOLESLAO Pudico,
Inexhaustis Salinis donata, dotataque.
Cyreneiacæ Regionis populi,
(extra Salem) ex Sale domos sibi exstruunt.
Felicior Bochna,
Thesaurò suo, toti Europeo Orbi,
ideo notissima, quia utilissima.
Non invidemus,
Stagyræ Aristotelem, Athenis Isocratem, Thebis Amphiona;
cùm videmus,
Vrbem Bochnam, tanquam Lacænam Parentem,
parientem Viros illustres.
Hos in omni statu lustres.
Pietatem in Superos, Religionem in Divos,
Spectatissimæ istius Vrbis, spectare vis?

 Hanc

Hanc
in Laureatis in Cracio Academo Secularibus Vrbis hujus Myſtis
admitare & venerare.
Egregij hi ſunt Orthodoxi populi Ductores,
quia omnes Doctores.
Scire vis,
Quid Magni DOMINICI Magni Filij ſunt?
quid Seraphica Seraphici Patris Progenies,
Vrbem hanc non tam incolens, quàm in pietate excolens?
Noveris hos Flamines Sacros eſſe.
Flammas illi Amoris Divini toties accendunt,
quoties ad Aras Summi Numinis accedunt,
Curioſam pupillam in Status Vrbis hujus vertes,
Viros, & moribus & doctrinâ cultos advertes.
Felicem adhuc cupis videre Bochnam?
eam & in Euripo malorum d c fortunatam.
Propter diram Ep demiæ luem,
Vniverſa Lechia lugebat.
Civitates, Pagi, Caſtella, Aſceteria,
in triſtem ſævæ Lacheſi abierant ſedem, & mortalium Vrnam.
O Tragicum Spectaculum! ô Fatum grave!
Avara & amara mors, nulli parcebat Honori.
Teſtare Bochna,
In te propter tabificum Cœli Vitium,
Omnis ætas, paritèr & ſexus ruebat.
Juvenes Senibus, gnatis Parentes, jungebat funeſta peſtis.
Funera fletu acerbo, & quæſtu carebant.
Quisquis legis hæc,
Agnoſce, & in infortunio illo magno,
Magnam Bochnæ felicitatem.
Inter opacas illius mæroris nubes,
Adfuit mæſtiſſimæ Bochnæ,
Sydus fortunatum.
In medijs illis fluctibus illuxit ei,
Cynoſura Bonæ Spei, D.

D. IOANNES CANTIVS.
Tristissimæ Vrbi adfuit Iubilus & Cantus.
Cantus erat, quem montanus dedit Angulus Orbi,
Quem peperit Mater Gratia, Cantus erat.
Epidemica lue oppressa Civitas,
Supplices ad CANTIVM tendebat manus,
& per CANTIVM, optatæ sanitatis recepit munus.
Audiant Secutura Tempora,
de Amore Bochnæ in CANTIVM.
Audiant Sæcula,
de Amore CANTII in Bochnam.
Pallida Mors,
Alibi tristes taxos, mortuales Cupressos,
toto trienniô figebat.
Bochnæ tantùm per tres Menses, suas ferales messes,
dura Lachesis egit.
Nec mirùm;
CANTIVS iram diram Libitinæ fregit.
Oèdipi morte,
à laborantibus pestilentia Thebis, mors recessit:
Accedente in suppetias afflictæ Vrbi CANTIO,
Vita accessit.
Maiora evolvet Calamus:
Ruenti suâ calamitate Bochnæ,
ruit sed in subsidium,
Athlas Polonus,
C A N T I V S.
Lypsana ei Sacra sua offert,
Vel in Antydotum salutare, vel in dulce decus, vel in præsidium.
Dexteræ Sanctæ, dexteræ eruditæ, dexteræ, quâ pallium
ab Alma Virgine recepit,
Digitum Bochnæ donat.
Digito hoc omnem mali notam proscribere,
Digito hoc omnem tibi Bochna inscribere felicitatem,

CANTIUS optat.

Heros hic Divinus, omni Annibale Maior,
Dat pignus de manu propria tibi Bochna;
hac te manu,
protecturus, quâ tibi omnia bona spondet.
Magnitudinem CANTIANI affectûs,
Multitudinem Amoris Palladis Iagellonicæ,
in Te, metire Vrbs,
vel ex hoc oblato pollice sacro.
Cimelia Sancta,
quibus nihil pretiosius, nihil speciosius habuit,
Cracia Minerva,
Tibi nunc impertitur, tibi nunc dividit.
Cleopatra noluit gemmam dividere,
sed totam Antonio dedit hauriendam.
Pallas Iagellonica,
integrum noluit habere CANTIVM,
Voluit ut integram CANTIVS suis Lypsanis
occuparet Poloniam.
Præsuli Myrensi NICOLAO,
Dat Doctorem CANTIVM;
Vt cum Antistite hoc, pro Te Bochna ante DEVM stet.
Apollo stabat pro Troja,
CANTIVS Doctor abhinc stabit pro Bochna.
Sali, datum est Sal Sapientiæ.
Noverit Polonus Orbis,
Non unius Craciæ Vrbis,
Tutelarem esse CANTIVM.
Incola Ille Cæli,
Omnes Lechiæ Vrbes, optat ut incolat.
Hinc scias CANTIVM non uni esse natum Angulo.
Videat posteritas felicitatem Bochnæ?
Non solus eam voluit adire CANTIVS.
Quia non solus eam voluit tueri.

In

In Præsidijs armata Gradivi soboles collocatur,
Non unicus Camillus pro Roma, nec unicus Hector pro Ilio stabat.
In tutamen Bochnæ assumit CANTIVS,
FELICISSIMVM, INNOCENTIVM, ILLVMINATVM, POTENTIANVM, Potentissimos Alcidas; quia invictos Martyres.
Felicitatem, Innocentiam, Illuminationem, & Potentiam DEI,
eô Tibi Vrbs precatur.
D. NAVALIS, Argos Tibi secura,
D. CLARVS, ipsa claritas, in procinctu ad æternam felicitatem erit.
BONIFACIVS, nunquam Tibi benefacere desinet.
Virgo SEVERINA, erit hostibus Tuis & malis severa.
FAVSTA, IVCVNDINA, INNOCENTIA, CÆLESTINA,
Virgines hæ, Vestalibus puriores,
quid aliud?
Si non faustitatem, jucunditatem, innocentiam, Cælum ipsum,
suis Nominibus pollicentur;
Date Mnemosynes Filiæ Entheum,
Date ad gratulandam hanc felicitatem Bochnæ Verba.
Evola penna in voces festivas & vota,
Perillustri, & Admodùm Reverendo Domino,
D. CANTIO FRICIO,
AA. LL. & Philosophiæ DOCTORI, Viroq; Togato, Ecclesiarum Bochnensis PRÆPOSITO, Parochialis in Dźikowiec CVRATO, &c.
Pijssimus hic Æneas est,
Qui Diviniorem Anchisam D. Patriarcham.
Sacris Templi sui Parochialis infert Pœnatibus.
Felix Filius tanto Patre,
Felix & Pater tam amantissimo sui Honoris Filio;
Non poterit Clementissimus Patriarcha,
Filij sui curam non habere;
cujus se Sponsæ in Reliquijs hodie obtulit.
Cracij Heliconis Præses CANTIVS,
Videt dilectissimi Cordis Vestri tesseram,
Illustres, Excellentissimi, & Admodum Reverendi Domini,
Ecclesiæ Parochialis Bochnensis,
Devotissimi Mystæ,

 Zelantissimi

Zelantissimi CANTIANI Honoris Promotores.
Virides hæ Laurus,
quibus erudita tempora Vestra redimivit
Iagellonica Pallas,
nullum adversæ sortis experiantur fulmen.
Sub doctarum mentium Phæbo CANTIO,
Doctorales Vestræ Laureæ,
in flores maximorum in Ecclesia DEI Honorum excrescant.
Illustres, Magnifici, ac Generosi Domini,
Thesauri Regij Bochnensis OFFICIALES,
Munus pietatis CANTIO exhibuistis;
Munia Magnarum Dignitatum Thesaurosq; Regis Regum,
á CANTIO expectate.
Inclyta Vrbs Bochnensis,
Sume nunc certa felicitatis Tuæ Auspicia,
Harpiæ te Gotticæ,
Sive illæ, quas exoticus Neptunus in Te immisit,
Tributorum oneribus ceû Sisiphi saxis oppresserunt.
Vorax Vulcanus,
tot Tibi formosas domos, immitibus flammis depastus est.
Spera nunc ex CANTIANO totq; Cælestium Incolarum adventu,
meliores dies, meliores eventus.
Quod Troiæ Palladium,
Hoc Tibi Lypsana Sacra erunt.
Incolæ Bochnenses cultu debito,
Hos Æthereos servate Deos, servabitis Urbem.
Divi Indigetes,
Argi centoculi sunt,
Vestro bono, Vestro commodo prospicient, invigilabunt.
Effuso affectu, Filiali pietate, ardentissimo Zelo,
Suscipis Vrbs in Te CANTIVM Patronum;
Ergo CANTIVS
Sit Tibi CANTVS, sit Tua Corona,
Sit perpetua FELICITAS.

